

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

DA BOX

N° 1735.



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

DISPVTATIO
De
LOCO ET TEMPORE.

Quam

Diuina fauente Clementia

SVB PRAESIDIO VIRI CL. ET DOCTISS. MATHIAE ILL: F. Flacij Medicinæ Doctoris & Academiæ Illustris Roſarum Profeſſoris, præceptoris ſui honorandi,

Pridie Idus Aprilis publicè in Auditorio magno defendet.

Oligerus Roſencrantz G. Filius
Nobilis danus.

Erit initium VI. Matutinæ.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
Anno cIɔ Iɔ XCII.

Patri Suo
GEORGIO Roſenkrantz
Filius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

ARISTOTELES.

De Veteribus l: 1. περὶ ψυχῆσ C: 2.

inquit.

Τὰ εἰρημένα καλῶσ λάβωμεν: εἰ δὲ μή τι καλῶσ τουτ' εὐλαβηθῶμεν.

Et de ſe ipſo

c: 8. l: 2. περί σοφισικῶν ἐλέγχων.

Λοιπὸν ἂν εἴη πάντων ὑμῶν, ἢ τῶν ἀκροωμένων ἔργον, τοῖσ μὲν παραλελημμένοισ συγγνώμην, τοῖσ δ' εὑρημένοισ πολλὴν χάριν ἔχειν.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

DISPVTATIO.

De Loco & Tempore.

I.

INter ea quæ omnium naturalium corporum communi ſunt accidentia ſeu πάθη, Locus eſt & Tempus; Omne enim corpus Phyſicũ eſt & mouetur in loco & tempore. Itaq; coniungemus hæc. Ac primum de loco dicemus, Tum de tempore quid ſint & quid non ſint.

2. Locum eſſe rem diſtinctam a corpore arguunt diuerſa quæ in eundem locum ſibi inuicem ſuccedunt corpora V.g. aër & aqua.

3. At neq; imaginaria ſolum & cogitatione ficta res eſt locus, ſed reuera exiſtens in natura: quod patet ex diſpoſitione huius mundi in quo reuera diſtincta & ſemper eadem ſunt loca, ſuperus ad quem leuia & inferus ad quem grauia feruntur & in eis quieſcunt.

4. Biſariam autem accipitur vocabulum loci: Nempe pro communi & proprio. Communiſsimus quidem locus eſt in quo omnia corpora ſunt, Nempe cælũ ſiue locus ſub cælo.

5 Proprius autem dicitur i s in quo corpus aliquod pro-ximè per ſe & primò ineſt. Et in quo nihil ineſt vel continetur præter idipſum | vnum | corpus.

6. Cæterum Phyſica hæc diſputatio inſtituitur non de loco communi, ſub quo etiam politicus locus compræhenditur, ſed de proprio, qui continetur in communi, quiq; locatum continet proximè & immediaté.

7 Atq; hunc locum locato corpori prorſus æqualem eſſe oportet. Nam ſi maior eſſe fingatur, dabitur vacuum, hoc eſt, ſpatium corpore vacans. Sin minor, corpus aliquatenus erit extra locum.

8. Quæritur autem quid ſit locus? Siquidem non eſt corpus vt prædiximus. Daretur enim corporum & dimenſionum penetratio, ſi & locus corpus & in eo corpus aliud eſſet.

9. Locus igitur non eſt corpus, ſed eſt aliquid ipſius corporis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

quod in loco eſſe dicitur. Videndum igitur ecquid locus ſit forma an materia locati, an pars eiuſdem vel totum, an habitus ſiue accidens intrinſecum & inſeparabile, an vas ſeu receptaculum, an (vt Ariſtotel. cenſet) ſuperficies continens locatum, An deniq; interuallum ſeu ſpatium interceptum inter latera ſeu extrema ſuperficiei continentis.

10. Atqui quod locus neq; materia neq; forma ſit, hinc patet, quia à re locata ſeparari poteſt locus. Materia autem & forma ſeparari nequeunt ſiquidem res ipſa manere debet quod erat.

11. Locus enim non eſt quippiam neceſſario coniunctum cum locato. Nam quod in loco eſt, etiam extra eum locum eſſe poteſt. Locus quidem nullus eſt absq; corpore hoc vel illo. At hoc corpus non neceſſario eſt hoc in loco.

12. Itaq; locus nec pars ipſius locati eſt neq; habitus neq; quicquam à re ipſa inſeparabile vel intrinſecum & eſſentiale. Sed eſt aliquid extra rem, quod in loco eſt: Cum cætera quæ diximus ſint in re.

13. Etſi verò & pars in toto & locatum in loco eſſe dicatur: non tamen locus totum eſt reſpectu locati, neq; continet locatum vt partem. Quia pars minor eſt toto, cum locus ſit æqualis locato, ſic, vt loci & locati extrema ſimul ſint.

14. Vaſi autem ſeu receptaculo locus maximè ſimilis eſſe videtur. Sed differunt quod vas mobile eſt, locus immobilis. Vas enim cum eo quod in vaſe eſt transferri poteſt. Sed recedente corpore manet locus corporis, in eumq; aër aliudue corpus ſuccedit. Neq; vas æquale ei quod in vaſe continetur, ſed maius eſt.

15. Ariſtoteles locum definit vltimam ſuperficiem ſeu terminum corporis continentis. Vltimam intelligit quæ intima & locato proxima eſt. Quæ ſententia multis laborat difficultatibus. Nam neq; locus locato æqualis neq; immobilis, neq; cælum in loco erit.

16. Has autem aliasq; difficultates effugiemus ſi ſtatuamus, locum eſſe interuallum ſeu ſpatium non quidem vacans omni corpore, ſed ſpatium in aëre vel aqua vel alio elemento, eius ipſius elementi aut etiam alterius corporis plenum: In quod ſpatium ſuccedere poteſt aliud corpus per ceſsionem prioris.

Corpo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

17. Corpora enim ſunt menſuræ locorũ, Quia corporum magnitudo definita certaq; eſt, Locorum incerta & indefinita. Definitum autem eſt menſura indefiniti, vt vlna panni. Tantus igitur locus quantum corpus eſt.

18. Quod ſi igitur corpus tres habet dimenſiones Locum etiam tribus dimenſionibus præditum eſſe, tantumq; quantum corpus, in longũ, latum & profundum patere oportet, ſiquidẽ capax eſſe debeat corporis Phyſici: At ſuperficies in longũ duntaxat & latũ patet.

19. Ariſtoteles verò nullum cenſet eſſe interuallum neq; dimenſiones vllas, niſi in corporibus. atqui locus non eſt corpus. Quod ſi corporis & loci ſuæ ſint dimenſiones in longum latum & profundum, dabitur dimenſionum & corporum penetratio.

20. Cui argumento facile occurri poteſt, Si dicamus dimenſiones primò & per ſe non ineſſe niſi corporibus. Per accidens verò rectè tribui locis quæ occupantur à corporibus: nam & cum ê loco receſsit corpus, monſtramus quantũ ſpatium occuparet cum ibi eſſet.

21. Locus igitur accidens eſt corporis, eſtq; ſpatium ſeu trina dimenſio, quam nos animo concipimus absq; corpore, licet nunquam ſit absq; corpore. Vt enim numerum á rebus numeratis ſic locum à corpore recte ſeparamus: Licet neq; numerus vllibi ſit niſi in rebus numeratis, neq; ſpatium vllibi niſi corpore repletũ. Ratione enim differunt, licet re ipſa ſeiuncta non ſint.

22. His ita conſtitutis patet cælum eſſe & moueri in loco. Nempe locus cæli eſt circulare ſpatium quod occupat cælum & in eo etiam ſpatio mouetur.

23. DICAMVS nunc de tempore quod ex eorũ numero eſt quæ non habent partes actu exiſtentes ac permanentes, propterea quod eorum eſſe eſt fieri: in quo genere etiam eſt motus. Temporis enim pars alia præterijt, alia inſtat. Neq; vllum tempus eſt præſens, quia præſentis V. g. horæ vel diei pars quædam fuit, pars alia erit.

24. Ex quo apparet duas ſolum eſſe partes temporis præteritum ſcilicet & futurum. Sed quemadmodum in linea accipitur punctum quod vnius partis finis, alterius initium eſt. Sic præteritum à futuro diſterminatur per punctum ſeu momentum temporis, quod finis eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

præteriti & initium futuri: vocaturq; ab Ariſtotele Nunc; νυῦ, ab alijs inſtans. Vtq; in puncto continuantur partes lineæ, ſic in nunc partes temporis.

25. Veterum aliqui tempus putarunt eſſe motum aliquem, propterea quia eſt in fluxu & ſemper aliquid illius eſt, aliquid fuit: ſicuti in motu contingit.

26, Alij verò tempus exiſtimabant eſſe motum circularem cœli ſeu vniuerſi: quia motu cœli metimur omnia quæ fiunt in tempore. Itaq; annus nihil aliud videtur eſſe quam motus ſolis in Zodiaco. Dies autem motus primi mobilis. Menſis motus Lunæ.

27. Ac negari non poteſt, tempus reipſa non differre à motu cœleſti, quo definimus annum, menſem, diem &c. ſed ratione differunt. Quia tempus non eſt ipſa cœlorum conuerſio ſeu circulatio. Alioqui tempus non eſſet niſi in cœlo.

28. Huc adde quod quælibet pars tēporis tempus eſt, ſicuti quælibet pars lineæ linea eſt. Atqui circulationis quælibet pars non eſt circulatio. Quia circulatio ſeu conuerſio eſt reditus ab eodem ad idem punctum, quod dici nequit de parte conuerſionis. Ergo circulatio non eſt tempus.

29. Et quibus argumentis probatur tempus non eſſe motum, ijſdem probatur quod non ſit circulatio. Ea ſunt huiuſmodi.

30. Idem tempus eſt omnium eorum quæ ſimul fiunt & ſunt, ſed non idem motus. alius enim cœli alius animalium.

31. Motus omnis celer aut tardus eſt: & motus alius alio tardior. Tempus autem ex ſua natura neq; celer neq; tardum eſt: neq; tempus tempore tardius aut celerius.

32. Tempus eſt menſura motus, cuius velocitatem & tarditatem & ipſam etiam quantitatem tempore metimur. Differunt autem menſura & res menſurata. Menſura certa ac definita eſt. Quod menſuratur indefinitum.

33. Tempus itaq; non eſt motus, neq; motus eſt genus temporis. Veruntamē tempus non eſt abſq; motu. Nam quorū alterum abſq; altero non cognoſcitur, ea neceſſariò iuncta ſunt. Vt enim res ſunt, ita cognoſcuntur à nobis. Atqui tempus non cognoſcitur abſq; motu: quod patet in dormientibus, qui tempus quod dormiendo conſumſerunt,

ſerunt, non animaduertunt: Sed nunc ſeu momentum temporis quo cæperunt dormire & alterum quò expergefacti ſunt ita connectunt, tanquam ſi vnum foret, neq; vllum inter illa duo momenta tempus intercesſiſſet.

34. Tempus igitur non eſt absq; motu ſen mutatione. At quia motus non eſt, erit aliquid ipſius motus. Certum autem eſt quod motum metiamur tempore & viciſsim tempus motu. Concionatur aliquis horam. Et horam metimur arenæ lapſu: Sicuti ſane & vlnam ligneam ecquid iuſta ſit, panno quandoq; metimur.

35. Neq; illud obſcurum eſt, ex motu cognoſci tempus quatenus in motu prius eſt & poſterius, ſiue partes aliæ priores aliæ poſteriores: quas per momenta temporis diſtinguimus. Nam & præſenti nunc futurum à præterito dignoſcimus: & temporis interuallum quod inter duo nunc intercedit agnoſcimus, perq; duo illa nunc tanquam extrema puncta definimus.

36. Hinc Ariſtoteles tempus definit quod ſit numerus motionis ſecundũ prius & poſterius, Quorum verborũ ſententia hæc eſt. Tempus nihil aliud eſt quam motus numeratus per partes priores poſterioresq;. Numerat enim animus noſter partes motus atq; ita cognoſcit tempus: quod reuera conſiſtit in ipſo motu, quoad numerabilis eſt motus: eſtq; nihil aliud quam ſucceſsio partium motus, quarum aliæ prius à nobis noſcuntur aliæ poſterius.

37. Neq; enim tempus eſt numerus numerans ſeu abſtractus: Sed numerus numeratus id eſt cõcretus cum motu: cuius duratione, quantitatem, extenſionem per partes numeramus & metimur tempore.

38. Etſi verò tempus ſit continua, numerus diſcreta quantitas, tamen ſicuti partes ſpatij vt Zodiaci, ſic etiam partes motus & temporis participant ratione diſcretæ quantitatis, quatenus differunt ſecundũ prius & poſterius, numeranturq; eo quo ſibi ſuccedunt ordine.

39. Rectius autẽ tempus definitur numerus quam menſura motus. Tum quia menſura latius patet quam numerus: Tum quia numeramus horas, dies, annos, quibus metimur vitam animalium & plantarum, aliarumq; rerum durationem variasq; motiones.

40. Quietem verò non niſi per accidens menſuramus tempore, quatenus quies iuncta eſt cum aliorum corporum motu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

tu. Cum enim moueri nihil percipimus., tempus quoq; non cognoſcimus. In quiete enim non fit aliud atq; aliud. Nulla igitur in quiete diuerſarum partium ſucceſsio, In qua temporis motusq; eſſentia conſiſtit.

41. Deniq; quando tempus dicitur eſſe numerus motus, non oportet intelligere ſolum cœleſtem motum, quamuis ab hoc deriuetur omnis ratio temporis.

42. Attamen tempus cernitur in quolibet etiam alio motu: quomodo horologijs alijsq; inſtrumentis ad cælorum ſimilitudinem confictis metimur horas, dies, menſes, & annos.

43. Neq; ſolum motus localis, ſed cuiusuis etiam alterius motus ſeu motionis numerus & menſura eſt tempus.

44. Sed nullus eſt motus magis certus ac definitus & ſui ſemper ſimilis & continuus nec interruptus, quam cæli diurna conuerſio, quæ diem facit & noctem. Quod tempus etiam nobis eſt notiſsimum. Hoc igitur motu & tempore omnes alios motus ac mutationes omniaq; alia tempora metiri par eſt, per diurni ſcilicet motus repetitioné: Sicuti panni decem vlnas, decies repetita eadé menſura metimur.

Coronidis Loco.

1. *Qui Categorias Quando & Vbi cum quantitatis confundunt, quantum inter hæc attributa interſit non conſiderant.*

2. *Qui locum & tempus ex Phyſica extirpant, quod hoc adiunctum illud ſubiectum entium ſit, Logicæ & aliarum ſcientiarum ſubiecta & limites non diſcernunt.*

3. *Qui locum & tempus non entium eſſe aſſerunt, vel Sophiſticè circa non ens ludunt, vel quid locus ſit ignorant.*

4. *Nec ſuperficies nec linea nec punctum Mathematicè conſiderata in loco ſunt, quod proprium eſt corporis ſaltem Phyſici.*

5. *Qui ſpatium dimenſionis prorſus expers, vel etiam vnius vel duarum tantum dimenſionum conſtituit, ſibi ipſi contradicit.*

6. *Qui locum corporeum & lucis locum aërem eſſe dicunt; nec quid lux nec quid corpus ſit percipere videntur.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]

1735.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1735 4° [14,-207]